



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vera Sapientia

**Pinamonti, Giovanni Pietro
Segneri, Paolo**

Coloniae, Anno M.D.CCVI.

VD18 12664146

Quare peccatum meritò fugiendum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50782](#)

PUNCTUM III.

Ex prædictis Consequentia.

Quasi à facie colubri fuge peccata.

Eccl. 21. 2.

III. **I**T a tecum ratioçinare: Deus peccatum odio persequitur, & ego illud magis, quam animam meam diligo. Deus pluris æstimat, in genere mali, peccatum capitale unicum, quam æstimet in genere boni omnes laudes, honores, obsequia, à creaturis suis sibi præstata', & ego id tantilli facio, ut committam propter rem nihili, déque commisso gloriari insuper audeo, atque superbire, imò & magnifice jactare aliis, velut facinus dignum immortalitate. Deus ut peccatum destrueret, stragibus implevit supera inferaque, unde, velut è theatro, odium illud infinitum in publicam daturus scenam, propter unicam solam culpam gravem, tot suas creaturas privat infinito bono beatitatis æternæ, eásque subjicit

B 2

pœ-

pœnæ infinitæ damnationis æternæ;
& ego non unius tantum peccati, sed
multorum mihi conscius, mente lætâ
ac liberâ oculos subeo irati Numinis,
rideo, jocor, dormio, mēque ipsum in-
gurgito spurcitiis & mutuatis bestia-
rum exuviis, tribūisque calamistratō
crinum cincinnis, ac pauculis tæni-
arum ulnis scilicet magnifice exorna-
tus, me circumspicio, velut Majestatem
aliquam humana majorem ostentans,
Scire nunc per velim, utrius horum
judicium sit sanius, uter errer, *aut Deus errat, aut mundus fallitur.* Ex his
duobus contrariis, dic obsecro; utrum
verius? ð prodigiosam sanè peccatoris
cæcitatem, qui beatum se existimat
in cæno iniquitatum suarum, cùm
tamen exosus Deo ac Superis, revera-
bit abjectior fætente ac sordido asini
cadavere (ita juvat eloqui) &
dæmone infernali horribi-
lior. *Unus ex vobis dia-
bolus est. Joan. 6. 71.*

ORAS

O R A T I O .

Potentissime Deus, Rex regum, &
Domine dominantium, quomodo
auderet comparere in conspectu tuo
monstrum tam deformè, cuiusmodi
sum ego, inimicus tuus, contumax, re-
fractarius, rebellis, proditor, nisi id fie-
ret petendæ causà pacis, tuæque fidu-
ciâ clementiæ? Tu, magne Deus, nihil
æquè odio habes ac peccatum, & ju-
stissimè id quidem odio prosequeris
in infinito, velut tibi malum, & directè
oppositum justissimæ tuæ ac sanctissi-
mæ voluntati; tametsi autem odio
habeas, quod ego feci, non odisti ta-
men, quod tu creasti. Agnosce, in hoc
tuo plasmate miserrimo, imaginem
tuam, tam fœdè deformatam, renova
in tuo hoc opere primos dexteræ tuæ
ductus, neque patiâre, ut plus possit
perversa voluntas mea, in evertendo
cœpto tuo, quam omnipotentia tua, in
eo perficiendo. Ecce! ut ego miser ac
miserabilis, prostratus ante thronum
Majestatis tuæ, supplex peto veniam

B 3

cul

culparum mearum; & omni nisu libe-
ræ voluntatis meæ retracto , abomis-
nor, & perinde, ac non facta, esse volo
omnia illa facinora, quæ inimicitiam
mihi tuam odiūmque conciliarunt.
Solus amor, quo complecteris me , &
odium , quo persequeris peccatum
meum, hæc sunt, quæ ex intimo cordis
sinu exprimunt mihi pœnitentis ani-
mi suspiria , & quoniam non est par-
voto meo , magna velut mare contri-
tio mea , sit tibi hoc ipsum odium tu-
um loco doloris mei, qui mihi deest, &
in hoc etiam subveni summa miserias
meæ. Age igitur, mi Deus, per abyssum
illam bonitatis tuæ, quæ sedem fixit in
corde tuo, rata sit hodie inter nos pat-
ista, non rumpenda in æternum. Ego
miser peccator obediam imposterum
præceptis tuis , magnificiam gratiam
tuam, & legem tuam reverebor. Tu
vicissim, velut supremus omnium do-
minus , assiste mihi in temptationibus
cunctis, defende me à periculis, obli-
viscere omnis præteritæ inimicitiae, ut
tibi fideliter ad amissim serviendo in
hac

Consideratio IV. 31

hac vita , merearte amare, t̄eque frui
æternūm in altera, Amen.

CONSIDERATIO IV.

PRO DIE MERCURII.

PUNCTUM I.

Pœna Angelorum.

*Deus Angelis peccantibus non pe-
percit , sed rudentibus inferni de-
tractos in Tartarum tradidit crn-
ciandos. 2. Petri 2.4.*

I. **C**onsidera primum peccatum in
mundo patrum , ejusque pri-
mum supplicium. Angeli scilicet ante
omnes alias res creatas extracti ex abys-
so nihili sui, in cœlo empyreo colloca-
ti , summo insuper ingenio præditi,
summāq; sapientiā, nec pulchritudine
inferiore, immortales denique, & Nu-
minis videndi capaces, pro debita con-
ditori suo obedientia ac subjectione,
tertiā sui parte ab eo deficiunt. Illicē

B 4

igi-